

TEDIS DUCALIBUS,
ILLUSTRISSIMI, ET CELSISSIMI PRIN-
CIPIS, AC DOMINI,
DOMINI
FRIDERICI CASIMIRI,
 IN LIVONIA CURLANDIÆ, ET SEMGALLIÆ
DUCIS,
 Principis, & Domini sui clementissimi,
 Cùm
 SERENISSIMA PRINCIPE, ET DOMINA,
 DOMINA


ELISABETHA SOPHIA,
 Marchionissâ, & Principissâ nata
 Electorali-Brandenburgicâ, &c. &c. &c.

IN LIVONIA, CURLANDIÆ, ET SEMGALLIÆ
DUCISSA,
 Principe ac Dominâ sua clementissimâ,
 Feliciter iteratis

Devoto animi cultu applaudit

Subiectissimus

ONUPHRIUS Gößler/
 Consiliarius Ducalis.



MITAVIÆ,
 Ex Officinâ Typographicâ-DUCALI,
 Typis Georgii Radetzki, 1691.



CUroniæ Princeps Carolinas ibat ad undas,
Et morbum medicâ sustulit æger aquâ;
Æger DUX animo defunctâ Coniuge luctum
Cæsareâ lymphâ tollere non potuit:
Quem non rivus aquæ, medicataq; Balnea mœstum
Sanarunt, sanat nunc repetitus amor,
Pro Thermis CAROLI nunc succi plena Virago
Præstat opem, atq; DUCEM DUX rigat instar aquæ:
ELISABETHA SOPHIA Polo data blandula
Nympha
Huic animi morbo sana medela datur;
Sanguine Coniuncto dedit HANC BRENNONICUS HE-
ROS,
Quem simul AFFINEM nunc cupit esse suum;
HÆC inter celebres celeberrima nata DUCISSAS
Nunc tradit nostro lactea colla DUCI.
Hactenus inter utramq; Domum duo firma ligabant
Vincula, Coniuncto foedere corda DUCUM,
Pristi-

Pristina nunc socio renovato foedere Jura
CURO-BRENNONICI sunt triplicata Thori.
Hunc nexum Domui multis in rebus Utriq;
Jus magnum quis non constituisse putet?
Sat SOPHIAM AMELIAM doluit Curlandia, no-
stram
Insignem meritis, & pietate DUCEM:
Nunc solata novo celebrat sua gaudia plausu,
Interitu Priscæ quæ periere DUCIS;
Namq; Thoro CURO-NASSOVICO successit AMICA
Brandenburgicæ gloria magna Domus:
Imperii fuit ILLA sacri lectissima Gemma,
Syderis HÆC instar fulget in Imperio,
ILLA SOPHIA vocata fuit; fausto omine gratum
HÆC DEA nomen idem Pallade nata gerit:
Ne careat SAPIENTE Domus Curlandica MATRE
Numina sic nostro consulere DUCI.
Virtuti Virtus successit, Origeni Origo,
Candor Candori, parq; pari probitas;
Raræ deliciae quondam fuit ILLA Mariti,
Solamenq; mali dulce, decusq; fuit.
Non minus HÆC castos sociabilis inter amores
Conforti Consors molle levamen erit.

Solvan-

Solvantur nunquam tam fortia foedera lecti,
Sed semper durent intemerata precor!
O sit SOL Patriæ DUX! O sit LUNA DUCISSA!
Fœcudent Thalamum Hæc Lumina bina suum!
Pristina LUNA novum SOLEM produxerat olim,
Et Patriæ lætos fecerat Alma dies;
Phœbulus HIC cecidit, sunt passi LUNAQVE, SOLQVE
Ecclipsin, Cœlo deripiente diem:
Redde novum SOLEM, nec gaudia nostra morare
LUNA novi Thalami, SOLE nitente Tuo.
Non SOLI HUC fatis est, unum producere SOLEM,
Nec LUNAS; SOLES sit generasse fatis.

